Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8269
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



165

Decisio pro Generoso Domino

nihil interesse, utrum feudum ab ipso Domino, an a Vasallo emptum fuerit. Cum hoc etiam casu posteriore Vasallus emptor non magis feudum gratuito acquisiuerit, quam si id ab ipso Domino mediante pecunia comparasset, ideoq; rationes, quarum paulo ante facta mentio est, feudo per Vasallum Vendito aque locum obtinent.

Deinde etiam quod ad Domini personam in specie attinet, is utiq; consentiendo, ut prior Vasallus feudum suum iusto precio distrahere possit, eo ipso hoc maximum ei confert beneficium, quod pro re feudali estimationem eiusdem allodiali siue pleno Jure consequatur. Et ob id beneficium nullum potest conferre amplius in emptorem cum iam omnia contulerit in Venditorem, qui precium ex feudo Vendito redactum a Domino feudi, ex eius q; libera facultate & gratuita concessione, consequitur

Et sic dici non potest, Emptorem quoq; fuisse a Domino feudi beneficio & gratuita concessione affectum. Quomodo enim Vasallus

168